



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CONCILIIS, ET|| ECCLESIA MILITANTE,|| QVATVOR LIRBRIS||
COMPREHENSA.||


Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

Cap. I. Ordo disputationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53873](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-53873)



CAPVT PRIMVM.

Ordo Disputationis.



IS SERVIMVS HACTENVS DE CAPITE
militantis Ecclesiæ: nunc de ipsa Ecclesia dis-
serendum erit. Quia verò Ecclesia bifariam
considerari potest, ut in Conciliis congrega-
ta cernitur, & ut toto orbe terrarum diffusa
est: p: optere nos quoque primū de Conciliis, tum de ipsa
Ecclesia disputabimus. Præponimus autem disputationem
de Conciliis, disputationi de Ecclesia, licet ordo naturæ cō-
trà suadere videretur; quoniam disputatio de Conciliis ma-
gis connexa est cum disputatione de summo Pontifice, quæ
iam præcessit, quam disputatio de Ecclesia.

Igitur controversia de Conciliis duabus in rebus posita
est, in definitione legitimi Concilij, & in eiusdem Concilij
auctoritate; Hæretici enim huius temporis fingunt nouam
formam Conciliorum, & iis deinde nullam ferè tribuunt
auctoritatem. Nos tamen his duabus partibus addemus ter-
tiam.

Itaque in tres partes diuidetur vniuersa disputatio. In
PRIMA præmittemus quædam, quæ ipsi disputationi quasi
aditum aperiāt; qui scripserint de hac materia, quid sit Con-
cilium, quotuplex, quot, & quæ hactenus celebrata sint; quæ
omnia tractabimus sine contentione ad modum simplicis
narrationis. In SECUNDA definiemus, quid propriè postu-
let natura legitimi Concilij; ubi tractabitur de materia, for-
ma, fine, & efficiente Conciliorum, necnon de iis, quæ ad-
uersarij requirunt in Conciliis. In TERTIA differemus de
auctoritate Conciliorum, tum absolute, tum etiam per
comparationem ad Scripturæ & Summi
Pontificis auctoritatem.

